

Heinrich Dringenberg

**Programma, Quo Rector Universitatis Rostochiensis Hinricus Dringenberg/ Phil.
Moralis Profess. ac Facult. suae hodie Decanus, Viri ... Dn. Friderici Cothmanni,
I.U.D. primarii, Funus indicit, & ad eundum exequias, Quas ... Dn. Joan-
Christophorus von Hillen/ I.U.D. ... curat, Omnim Ordinum Cives Academicos,
serio studioseq[ue] invitat**

Rostochii: Kilius, 1665

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn770472265>

Druck Freier  Zugang



Dringenberg, H.,

in F. Cothmann.

R. 1665.

42

PROGRAMMA,
Quo
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
HINRICUS Gringenberg/
Phil. Moralis Profess. ac Facultatis suæ hodiè
DECANUS,
VIRI Amplissimi ac Consultissimi
Dn. FRIDERICI
COTHMANNI,
J. U. D. primarii,
Emendat. & ad eundum exeqvias,
Quas
Excellentissimus GENER
Dn. JOAN-CHRISTO-
PHORUS von Gissen/
J. V. D. Consistoriiq; Ducalis Advocatus cla-
rissimus, curat,
Omnium Ordinum CIVES ACADE-
MICOS, seriò studiosèq; invitat.
ROSTOCHII,
Typis JOHANNIS KILLI, Ac. Typogr. clo loc LXV.

42



On ita est pridem, qvum
vix viginti dies nato infantulo
iremus exeqvias. Hodie idem
præstare sibi officium jubet **VIR**
Senex, qviqve octo ac sexaginta
vivendo jam complerat annos. Hinc adeò cogitandum no-
bis statuendumq; nihil est ali-
ud, qvam homines esse, hoc est, ad unum omnes, par-
vos, amplos; pauperes, divites; juvenes, senes; morti
obnoxios. Enimverò si tot reb⁹ præclaris eximiisq; or-
natissimus **VIR**, & in qvo nihil vulgare aut protritum
erat, avertere mortem ac declinare minimè potuit,
qvad, qvælo, viliore fiet turbâ, aut iis, qvi præ ipso illo
(de *Tiresia* Homero id asseveratum) umbrarum in-
star volitant, atqve in nullam propè comparationem
veniunt? Neqve profecto inscitè aut ineleganter *Lu-
cretius* (noctium Atticarum Auctori facundiâ inge-
nioq; excellens) mori nesciam mortem dixisse vide-
tur. Enimverò si à primis qvafsi Mundi incunabulis
mori s'veverunt homines, certumq; est, nullos etiam
deinceps fore, qvi nunquam vitâ, aut, qvæ *Tertulliani*
phrasis est, seculo egreditantur, ecqvandò existimes
desitiram aut morituram mortem? Cæterum qvam-
vis natura ita nostra ferat, aut indeles, uti vel ad nu-
dam

dam ejusdem mentionem cohorrescamus, & panico
qvasi qvodam terrore confundamur, tamen si ani-
mum collegerimus rursus, reputarimusq; , non esse
eam perfunctionem vitæ, sed lapsum (uti veteres in-
qviebant) erroris; neqve tam veluti pœnam à D E O,
qvam remedium potius, & metam qvasi laborum o-
mnium ærumnarumq; datam esse, multò certè præ-
stabit, aspernari mortem ac despicere, qvam pede u-
troqve fugere velle. Sanè enim vel ipsi Sectæ nostræ
Principi Auctoriq; CHRIS T O luculentissimè moni-
tum, ne timeremus qvi vitâ exuere nos possent qui-
dem, cæteroqvi nullum in animam nostram jus, aut
nullam potestatem habituri, ut qvæ sit inviolabilis. Sci-
licet non perennantem ille promittit nobis vitam,
sed de morte nostrâ, qvam obire qvemvis oporteat,
admonet, innuitq; , ipsam illam idcirco obtingere,
qvòd multò in nos conferat dona excellentiora,
qvam unqvam, nondum die nostrâ functi, sperare
poteramus. Qvâ de re tamen, in præsens philosopha-
ri prolixius, minimè attinet. Veniendum enim no-
bis ad FRIDERICUM est COTHMANNUM, Virum //
Amplissimum, Maximi Parentis clarissimum Filium,
exponendumq; de eo, qvæ in hujuscemodi funerum
indictionibus commemorari ac recenseri haçtenus
svererunt. Qvæ ratio uti non sine prudenti consilio
instituta est, ita in hoc TANTI VIRI funere teneri
cumprimis, observariq; merebitur. Enimverò sive

A 2

FUNCTI

FUNCTI agitur honor, qvem VIRUM majori laude
proseqvi oporteat & sive legentium commoda spe-
ctantur, jurare liceat, non temerè alium plura virtu-
tum morumq; (uti ipsa commentatio docebit) exem-
pla egregia suppeditaturum. Defungemur autem
isthuc officio, Historiamq; adeò VIRI potissimum te-
ximus ipsiis met illis, qvæ in eam rem suis ille manibus
consignavit ac reliquit, verbis, qvando vel rogati su-
mus, uti ne apicem in iisdem immutaremus. Ergo
per nos licet, vitam FUNCTUS suam ita edisserat:

// Natus sum FRIDERICUS Ego COTHMANNUS
Rostochii 25. Octobr. Anno 1597. Patrem habui ERNE-
STUM COTHMANNUM, jCtum, Professorem &
Syndicum hujus Academiae, nec non Cancellarium Mega-
politani. Avum paternum DIDERICUM COTH-
MANNUM, Consulem Lemgovensem, GODTSCALCI
COTHMANNI, itidem Consulis in Lemgow filium.
Aviam paternam CATHARINAM GROTHENIAM,
DIDERICI GROTHEN, Consulis Lemgovensis filiam.
Mater fuit ELISABETHA HEINS. Avus maternus
FRIDERICUS HEIN, j. u. D. Consul & Syndicus Ro-
stochiensis, JACOBI HEINS, Consulis Neobrandenburg-
ensis filius. Avia Materna ANNA Dobbins/ ALBER-
TI Dobbins/ Senatoris Rostochiensis filia. Studii Juris-
dici addiscendi gratia ab anno 17. hujus seculi, usque ad fe-
stum Paschatos anni 28. primò in hac patria Academiā sub-
stiti, Juris fundamenta jaciendo; deinde ex ea discedens in
Academia

Academiâ Gryphisvvaldensi, Lipensi, Tübingeri, Basiliensi, Argentoratensi, Coloniensi, & Rinthelensi commoratus fui. In transitu salutando Academiam Jenensem, Erfordiensem, Altorfensem, Ingolstadiensem, Molthensem, Friburgensem, Heidelbergensem: & in his, circa illud tempus, inter reliquos Eximios Jctos, Jenæ DOMINICUM ARUMÆUM, Altorfii ERASMUM UNGEPAUR, Ingolstadii, JOACHIMUM DEMICHIUM in Erlovv. HIER. ARNOLD. RATHIUM, Heidelbergensi JANUM GRUTERUM &c. In his verò Academiis, scilicet Gryphisvvaldii, ut Convictor D. MATTHIAE STEPHANI, ejusdem quotidiana conversatione usus fui. Lipsia vixicum PAULO WEGENERO, Jcto, publicas prælectiones D. Sinceltauß/ ibidem Professoris publici, frequentando. Tübinger in convictu D. JOHANNIS LUDOVICI MOGLIN, Medicinae Professoris, eoq; mortuo, MARTINI RIMELIN, Jur. Utriusque Doctoris & Philosophicae Facultatis Professoris, Praeceptores habui D. JOHANNEM HARPPRECHT, DAVIDEM MAGIRUM, HINRICUM BOCERUM, & CHRISTOPHORUM BESOLDUM, lectiones suas publicas sine intermissione continuantes. Nec solum cum prædicto D. HARPPRECHTO & BOCERO, sed & cum THOMA LANSIO, ibidem in illustri Collegio Professore, summa intercessit necessitudo. Quæ autem Basileæ Rauracorum, ubi hospitio M. LODOVICI LUCII, organi Logici Professoris, exceptus fui, defecit; D. JACOBO FESCHIO,

Codicis Professore, & Urbis Syndico, multifariis cum Academicis tum Urbicis negotiis obruto; D. JOHANNIS GUTEN, viribus corporis, judicii, memoriae, ceterarumque facultatum naturalium obseruium deficientibus. Tertio vero Juris Professore, D. INSULA, sapientia absente quam praesente. Argentorati Professores, praesertim JUSTUM MELLERIUM disputantem, & JOACHIMUM CLUTENIUM (cujus etiam singulari amicitia usus fui) publica legentem audivi. Colonia Agrippina ob diversitatem religionis a Romano-Catholicorum Professorum familiaritate me abstinui; cum illo unico D. PETRO OSTERMANNO, Disputatore insigni, nec non Romano-Catholicae Religioni tunc temporis addicto, conversatus fui. Rintelhelii D. FRIDERUM MINDANUM, Iura profitentem, audivi; D. HERMANNI Goehaußen/ ibidem Juris Professoris, conuentudine exoptatissimâ quotidiè usus. Quin & cum tertio Juris Professore, D. JOHANNI RORENDORFFIO, ut Commensalis quam familiariter & pravissime vixi. Nuptias primas celebravi die 27. Aprilis Anno 29 cum Virgine CATHARINA JUNGIA, Doct. NICOLAI JUNGII, Ducis Holstiae & s. JOHANNIS ADOLPHI Cancellarii, relictâ filiâ, quæ Anno 30. ipso die Trinitatis, sive 23. die Mensis Maji, auditio tertio quadrante 6tae vespertinae, Lubeca filiam ANNAM ELISABETHAM: Anno 32. die 8tao Martii in puncto 6tae vespertinae, filium ERNESTVM, denatum Rostochii 3. Jan. Anno 33. tertiam matutinam; eodemque Anno

33 Lu-

33. Lubeca alteram filiam in ipso partu difficultiori extin-
etam, mihi peperit. Prius hoc matrimonium dissoluebat
26. Julii Anno 1645. morte prædictæ Conjugis desideratissi-
mæ. Ad 2da vota transi 3. Octobr. Anno 48. cum ELI-
SABETHA GERDES, MARTINI GERDES, Juris
Utriusque Doctoris, & apud Gustrovenses Consulis ac
Syndici filiâ. Doctoris JOHANNIS AB HILLEN, Sere-
nissimi Regis Daniae CHRISTIANI QUARTI, & Ducis
inferioris Saxoniae AVGVSTI, Consiliarii, relictâ viduâ:
cum quâ in matrimonio saltem usque ad diem ultimum
AUGVSTI, anni 61, & non ad hunc usque annum me-
um emortualem, vivere licuit. Prædicto 2da Conjugis
filio primogenito, ex priori matrimonio prædicti D. JO-
HANNIS AB HILLEN, D. JOHANNI CHRISTO-
PHORO AB HILLEN, prænominatam filiam meam pri-
mogenitam & unicam in vivis existentem, Anno 50. die 19.
Novembris in matrimonium collocavi. Ex quo matri-
monio Neptes quatuor, ANNAM. ELISABETHAM,
CATHARINAM. MARGARETHAM, ELISABE-
THAM, & JOHANNAM, per DEI gratiam omnes
etiamnum superstites vidi. Nepte quinta CHRISTINA,
horâ primâ nocturnâ, 23. Februarii, Anno 63. natâ, sed
statim, post acceptum baptismum, denatâ. Dignitas
Doctoralis collata mihi 19. Septembr. Anno 33. à D. AL-
BERTO HEINIO, Seniore & Decretalium Professore,
tunc temporis Decano Spectabili; D. JOHANNE COTH-
MANNO, SS. Theol. Professore, Rectore Magnifico; &
D. LAV.

D. LAURENTIO STEPHANI, Pandect. Professore,
Vice-Cancellario. Ex quo tempore jurisdictioni Academicae subesse, quam praeesse malui. Quod dedecori mibi non duxi, cum sit satius, bonos rimari, quamobrem functione publica dignus, eandem oblatam repudiarim, quam ea indignus, cur tamen illam acceptarim, mirari. Exemplo Catonis Censorii. Is ipsus enim interrogatus, quamobrem inter multos Nobiles statuam non haberet, Malo, inquit, bonos ambigere, quamobrem id non meruerim, quam, quod gravius est, cur impetraverim, missitare. Ammianus Marcel. lib. 14. Non eadem est omnibus conscientia. Hic vulgato illo: Ibant, quo poterant, &c. Item: Mitte vadere sicut vadit &c. innixus ac fretus, quæris subeunda non veretur; Ille vulgato hoc: Maledictus is, qui opus Domini fraudulenter, & prout decet, non facit; perterritus, conscientiam ex benè intermissis recteque factis metitur. Haec tenus de se & istis quidem verbis FRIDERICVS noster. Bellè omnia, quoad rem: posteriora verò in primis eximiè prorsus sapienterq;. Ex quibus colligere liceat, quam turpe ac probrosum facinus sit, harpyiarum instar, involare munia publica, aut mercari etiam velle, quibus obeundis minimè aut par aut dignus sis; quam contra verecundi sit ac modesti, aspernari spartas aut declinare, suisq; sese continere parietibus malle, si vel maximè honores & officia virtute doctrinæq; excellentiâ abundè promerearis. Sed & alterum priore gravius longè atque divinius, ex VIRI sermone finali haurias.

haurias. Scilicet, qvām preciosa res sit, ICtus rerum
suarum satagens, saluti non sux, sed publicæ studens;
qviqve adeo perire ipse, aut rerum suarum omnium
jacturam facere malit, qvām committere, uti Respu-
blica detrimentum capiat, aut salubribus consiliis, ni-
hilq; nisi Universitatis incolumentem qværentibus, de-
fraudetur. Sed qvām, qvi id faciat, rara in terris nunc
qvidem avis est! Tu adeo id verè scripsisti elegan-
terq;, COTHMANNE, uti nullâ ratione qviveris re-
ctius, aut præclarius. Cæterum cùm, qvalis in vitâ &
moribus pië FVNCTVS fuerit, ipse minimè consi-
gnârit, nec commodè etiam potuerit, idcircò isthac
etiam parte commentationem minimè destituemus.
Pietatem igitur, tanq;am virtutum omnium Reginam
ac Principem adeo impensè semper coluit, uti nemo
ipsi eâ in re anteferretur; pauci pares putarentur.
Norat enim ad omnia utilem esse, habereq; promissi-
ones hujus & venturi Seculi. Hinc utique siebat, ut
non tantū domi privatimq; identidem de rebus di-
vinis loqveretur, & ageret; verum etiam ea magno
ardore adiret loca, in qvib; publicitûs DEI oracula
celebrarentur. Concionibus sacris nunq;am, nisi
fortè valetudine attineretur, abesse, prorsus intelle-
ctum est. Nullum enim ipsi ~~ancoræ~~ jucundius erat,
Et qvia istâ in DEV M mente erat, non poterat dete-
riore etiam esse erga proximum. Nunq;am enim res
pietatis plenè conficitur, nisi hunc ames, sicut te ipsum.

B

Frustra

Frustra ea omnis est fides , imò planè est mortua;
qvæ sese per charitatem minimè exerit. Proin istam
rerum fortunarumq; in qvâ constitueretur, abundan-
tiam, ita tractandam usurpandamq; existimavit, uti
non solus possideret, sed in consortium etiam ejus-
dem venire pateretur eos , qvos temporum diritas
suis involvisset fortunis. Qvos adeò juvit sàpenu-
merò benignè largèq; uti COTHMANNVM ipsa
liberalitatis qvasi præcordia habere, qvi beneficia ac-
ceperant, dicerent. Et, qvi cæteroqvi cotidiè fores
ipsius adcursitarent pauperes, nunquam rejicit, aut,
uti reverterentur, voluit, sed operam dedit omnino,
uti spe ac voto minimè inanes discederent. Omnium
autem maximè, qvam velin ipsâ morte prospectum
opis suæ indigentibus adficiatq; voluerit, ptopediem,
nisi nos impensè fallimur , revelabitur. Audiant,
inq; animum admittant li, qvorum arcæ inexorabili-
bus obseratæ jugiter claustris visuntut; qvibus tan-
tum non DEVS pecunia est, vel est omnino; ex qvi-
bus longè difficiliùs nummulum elicias, qvam ex pu-
mice aqvam. Aridi mortales, qvos nunquam pinguefieri, etiam in mediâ rerum pinguedine, videas.
Nec unquam ditescere comperiari, medias inopes
inter opes. Sed ex virtutibus COTHMANIANIS
videamus jam porrò alias. Temperantiæ ac fruga-
litati præ cæteris sic studuit semper, uti exemplum
quoddam ejus esse Virtutis posset. Quantæ mode-
stiæ fu-

stiaæ fuerit, id cùm ipse brevi indicârat ante, tûm cæteroquin etiam notissimum est. Animo nunquam repertus est fuisse elato, semper submissiore, quique facile cuivis, etiam minori, cederet. Affabilem omnibus sese præstítit, adeò uti nemo tam humilis foret, cui ad ipsum non pateret aditus Veritatis sic amantem fuisse novimus, uti nec joco mentiretur. Nullos ferre minus mortales poterat, quâm adulatores. Non erat præterea retinens injuriarum; non ἀνθρωπός (quo vitio nullum ferè majus aut spurcius est) nec erat ἄνθρωπος. Eximie loquebatur etiam de iis, qui cæteroqui non satis præclarè de ipso mererentur. Sed & Justitiæ observantissimum fuisse, adeò silendum minimè hîc erat, uti primo potius post Pietatem loco fieri ejus mentionem rei oportuisset. Neque verò mirum admodum, sectatum istam DIVAM strenuè fuisse eum, qui jurium justitiæq; Doctor foret. Quanquam id hoc seculo persunt-multi, qui tamen nominis tituliq; sui adeò non meminerunt, uti penitus obliti esse videantur. At quid de virtute, quæ in conversationibus cernitur, (Ἑρακλεῖος Græci eleganter dicunt) afferemus. Quæ tanta profecto in VIRO fuit, uti non temerè reperi-re sit, quo cum lubentius unquam coïsses. Adeò sermones, quos privatim publiceq; sociaret, jocis, jucunditatibus, leporibus, tanquam sale quodam condire didicerat, uti, qui cum homine insumeretur

dies, vix hora esse crederetur: sic ista præcipue vir-
tus annata F R I D E R I C O, ac quasi cum lacte
materno sucta videbatur. Audiant & advertant rigo-
rosi severiq; illi Catones, qui non ante in jocos risusq;
resolvantur, quām locusta pariat *Lucam Bovem*; Qui-
que in congressibus Λεγάμελον εἶναι, aut facetiis ludere,
rem cœlo statim indignam esse existimant. Quos vel
extra orbem relegari, quām mortalium cœtibus inse-
ri, longè profectò sit satius. Sed veniendum tan-
dem ad extremum, dicendumq; de VIRI etiam obi-
tu, quæ & ipsa non levis harum commentationum
svevit esse portio. Benè jam multum est tempus, ex
quo malè habere, & eoripi morbo cœpit. De quo
Excellentissimi Experientissimiq; DN. D. CASP. MAR-
CHII, Medici, P. P. Collegæ ac Amici nostri conju-
ctissimi, audire ac inferere lubebit sententiam. De
morbo, inquit ille, COTHMANNI nostri integerrimi,
non est quod multa edisseramus. Ut enim Mors bea-
tissimo Seni obtigit placidissima & quām maxime natu-
ralis, ita nec moriendi necessitatem caussæ ullæ violentio-
res induxerunt, qvin dudum (ab æquinoctio tamen in pri-
mis proximo) sensim indies languescere consuetò. Senibus
more vires, deficere semper magis magisq; Spiritus, tum
& obrui quasi restagnante tandem in vasis ferò, animad-
vertimus; Mente interim constanter illæsâ, ac latabundâ
eo magis, quò propiorem credidit speratam corporis
avâluerat. Neque enim obscurum esse potuit, quandoq;
dem con-

dem conservata pluribus iam annis serositatum scorbuticarum evacuationes, tum per sudores, tum per catarrhos (quos tantum abest ut molestie unquam tulerit, ut salutares eos semper fuerit expertus, ac proinde instar medicina sibi gratiore concessae astimaverit) circa tempus Solstitii hyberni nuperum cessare videbantur, futurum brevi, ut invalecente sensim asthmate, haud satis ventilata intus Vitalis flammula, accedente insuper seroso nimis & incongruo alimento, extingveretur: quod si præcavere ad tempus aliquod serio studuimus, evenit tamen haut infeliciter die 24. elapsi mensis Januarii; quem cum totum ferè meditationibus sermonibusq; piis transegerat, circa vesperram, sine omni angore, in ipso Filiæ unicæ amplexu animam vivissimè exhalavit. Hactenus MEDICUS de morbo FUNCTI; qui idem, adhibita omnia quidem fuisse, ut convalesceret, remedia, quibus tamen profectum sit nihil, luculenter testatur. Qvum igitur rem recuperandæ valetudinis desperatam prorsus esse, & ultimum vitæ terminum propè abesse SEPTUAGENARIO paulò minor intelligeret, ad Caracow sele præparavit; quam profecto curam nullo etiam alio vitæ tempore neglexerat. Et quandoquidem caussarium corpus nullo restaurari quireret, animam refecit eo medicamine, quod adversus spiritualem mortem, si recte usurpetur, validissimum est præsidium. Cœnâ, inquam, Dominicâ, ministrante Reverendo Clarissimoq; VIRO, DN. JOACHIMO LINDEMANNO,

MANNO, Archidiacono Mariano eximiè cotidiè
merente, Amico nostro jucundissimo, pavit sese,
eoq; tanquam preciosissimo viatico, illi, quod mox
conficiendum instabat, itineri præparavit. Nulla ei
in ore, ex quo decubuit, & cæteroquin etiam', fre-
quentior vox fuit, quam SOSPITATOR JESUS;
nullaq; deñ aliâ de re, quam de futuro Seculo, &
cœlestium, quibus brevi admiscendus foret, egre-
giâ conditione, differentem, qui præsto erant,
audiere. O præclarum illum (inqviebat) diem,
ubi ad illud divinorum animorum Concilium,
cætumq; istum proficisci; cumq; ex hac turbâ &
colluvione discedam. Quid enim habet vita hæc com-
modi, quid non potius laboris ac molestiæ? Sed ha-
beat: certè tamen etiam satietatem habet aut mo-
dum. Quod si igitur quis (perrexit) largiretur, uti
ex istâ ætate repuerascerem, & in cunis vagirem,
valdè equidem recusarem: neq; enim placeret quasi
decurso spacio à calce ad carceres revocari. Veniat
jam saltem D O M I N U S, nec cunctetur. Satis
hîc diu vixi, & ita quidem, ut vixisse minimè pœ-
niteat, aut frustra natum esse existimem. Ele-
ganter sanctèque, imò FRIDERICO, homine
in vitâ & in morte consentaneo, dignissimè omnia.
Ante hos duos & decem dies, ad quem tot suspi-
riis adspirabat, finem ita accepit, uti magis feliciter
de vitâ migrare, quam mori videretur. Abibat
enim,

enim, quod diximus, lubens, spei plenus, quin ad omnia sibi constans. Quod ultimum grande in moriente beneficium est. Quis enim melior esse vivendi finis queat, quācum cū integra mente, certisquē sensibus, opus ipsa suum eadem, que coagmentavit, natura dissolvit. Precamur Corpori, in quo tam præstans anima hospitabatur, altam requiem, & ad meliorem vitam gloriosam resurrectionem. Quumq; hodiè supremus exequiarum honos FUNCTO præstabitur, hortamur, CIVES ACADEMICI, impenseque invitamus, uti præstantissimo clarissimoq; funeri copiose interesse, & deducendo prolixe operari velitis. Meretur id genus benivolentiæ VIRI inusitata & hactenùs deprædicata nobis virtus; meretur Familiæ, ex quâ natus est, splendor; meretur GENERI, funus curantis, eximia dignitas. Omnia autem maximè merentur tot PARENTIS in Academiam collata beneficia. Et ipsa vos humanitas vestra, uti non segnes in exequendo officio deprehendamini, admoneri & poterit, & debebit.

P.P. sub Sigillo Rectoratus, die III. Febr.

Anno 1665.

Conventus fiet in Æde D. MARIAE
sacrâ, Horâ I.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn770472265/phys_0022](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770472265/phys_0022)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn770472265/phys_0024](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770472265/phys_0024)


DFG

enim , quod diximus , lubens , sp
omnia sibi constans . Quod ul
moriente beneficium est . Quis
vivendi finis queat , quam cum i
tisquè sensibus , opus ipsa suum
gmentavit , natura dissolvit . Pre
quo tam præstans anima hospitab
em , & ad meliorem vitam glor
inem . Quumq ; hodiè supremus
FUNCTO præstabitur , hortam
DEMICI , impenseque invitamu
mo clarissimoq ; funeri copiose in
do prolixè operari velitis . Mer
volentiæ VIRI inusitata & hactenu
bis virtus ; meretur Familiæ , ex qu
dor ; meretur GENERI , funus cur
tas . Omnia autem maximè n
RENTIS in Academiam collata
vos humanitas vestra , uti non seg
do officio deprehendamini ,
poterit , & debebit .

P.P. sub Sigillo Rectoratus

Anno 1665.

Conventus fiet in Æde I
sacrâ , Horâ I.



, quin ad
ande in
ior esse
rente , cer
que coa
rpori , in
m requi
urrectio
m honos
IS ACA
stantissi
educen
ius beni
cata no
t , splen
ia digni
tot PA

Et ipsa
quen
&

Febr.

IÆ